

gnificant per alias proprietates, seu notiones, et ly per hoc solum significat origines ipsas in ratione originis, et viæ; proprietates autem, et notiones sunt relationes, et notiones in facto esse, ita quod si per istas impossibile non differrent, et haberent diversas origines seu vias, quarum una esset ex alia, adhuc diversi essent, licet hoc sit impossibile in re sine illo primo.

Ex ista autem Anselmi explicatione manet explicatus Augustinus lib. v de Trinitate, c. xiv, et lib. de fide ad Petrum, c. i, ubi ex ipsis originibus, et processionibus distinguit Filium, et Spiritum sanctum, sed intelligitur de originibus, sicut modo sunt, id est, quarum una est ex alia, non quomodo tunc essent quando plures non essent. Eodem modo loquitur Damascenus lib. i de fide, c. ii, x et xi.

XXXVII. Secundo, arguitur in favorem Scoti: Si Spiritus sanctus procederet a solo Filio, et non a Patre, adhuc distingueretur a Patre: ergo non requiritur per locum intrinsecum procedere ab aliqua Persona ut distingatur ab ipsa: ergo si non procederet a Filio, sed a solo Patre, adhuc distingueretur a Filio. Primum antecedens probatur, quia in illo casu adhuc Pater esset Persona innascibilis: ergo adhuc identificabilis cum Persona procedente, quæ est Spiritus sanctus, cum nec etiam identice possit esse procedens, si totaliter est innascibilis; nec est intelligibile, sed omnino implicatorium quod si Filius procedit a Patre, et Spiritu sanctus a solo Filio, identificetur cum Patre: sic enim identice procederet Pater a Filio per spirationem, per quam procederet Spiritus sanctus ut identificatus Patri. Prima vero consequentia patet, quia inveniretur ibi Spiritus sanctus distinctus a Persona, a qua non procederet, scilicet a Patre: ergo per se,

et formaliter non requirit procedere ab aliqua Persona ut distinguatur ab illa. Ex quo etiam patet secunda consequentia a paritate rationis: nam sicut Pater constituitur in esse personæ per paternitatem, ita Filius per filiationem, et sicut Pater est innascibilis ex se absolute, ita Filius est inspirabilis: ergo sicut Pater non est identificabilis cum Persona Spiritus sancti procedente, ita nec Filius cum Persona spirata, quia ipse inspirabilis est, et in quantum filius solum potest gigni, et nasci, et per intellectum procedere: ergo in quantum filius non potest spirari, et per voluntatem procedere, sed in quantum filius, et in quantum natus constituit secundam Personam: ergo repugnat quod illa Persona etiam dato quod Spiritus sanctus ab illa non procederet, esset simul genita, et spirata, cum in quantum filius esset Persona, et in quantum filius solum esset genitus. Et sic in illo casu Pater esset una Persona emittens ex se diversis emanationibus diversas Personas, quia licet esset una Persona entitative, esset tamen multiplex principium virtualiter et eminenter propter infinitatem suam ad respiciendum diversas Personas.

Confirmatur, quia nunc spiratio passiva non est correlativa filiationis ut filiatio est, nec paternitatis ut paternitas est, sed spirationis, et tamen distinguitur realiter a filiatione ut filiatio est, et similiter a paternitate: ergo non fundatur distinctio per se loquendo, et per locum intrinsecum in sola oppositione formali, et processione unius ex alio; et sic adhuc remota oppositione stare potest distinctio.

XXXVIII. Respondetur quod in illo casu Pater distingueretur a Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus mediate esset, et procederet ab illo, licet non immediate, eo quod daret Filio

virtutem, qua spiraret Spiritus sanctus et mediante tali virtute procederet a Patre radicaliter, et sic salvaretur quod Pater esset adhuc fons, et origo Personarum in divinis. Non autem ex eo solum distingueretur, quia esset innascibilis: licet enim quia esset innascibilis non posset procedere, et produci ab aliqua Persona, posset tamen communicari Personæ procedenti, sicut essentia communicatur, et tamen in se innascibilis est, id est, improducibilis: sufficit autem posse ut identificetur cum eo cui communicatur, sicut essentia divina identificatur cum Filio, et cum Spiritu sancto, licet essentia non producat, sed solum communicetur. Itaque ex hoc præcise quod Pater esset innascibilis non probatur quod distingueretur a Spiritu sancto si ab illo non procederet, quia posset ei communicari; et sic identificari cum illo. Quod ergo distingueretur in eo casu, aliunde provenit, scilicet quia produceret Filium, eique communicaret virtutem spirativam Spiritus sancti, quæ virtus esset opposita, et non communicabilis Spiritui sancto ratione relationis spirandi quam importat. Hanc autem relationem Pater communicaret Filio: ergo esset Pater radicaliter, et virtualiter oppositus Spiritui sancto sicut Filius, quatenus, licet non esset habens in se relationem spirativam, esset tamen dans, seu communicans talem relationem Filio, æquivalet autem ad oppositionem habere relationem oppositam, vel dare illam per processionem, quia dans virtualiter habet.

Et si instes: Nam essentia divina dat Patri paternitatem, quia immediate resultat ab essentia, et tamen non opponitur Filio: ergo ruit prædictum fundamentum, respondetur quod essentia non dat paternitatem per processionem

paternitatis a se, consequenter neque per oppositionem cum Patre, sed per omnimodam identificationem, et virtualement emanationem, sicut attributa emanant ab essentia. Ex hoc autem non sequitur quod essentia opponatur Filio, quia nec opponitur paternitati. In nostro autem casu Pater communicaret Filio vim, et relationem spirativam per processionem, et oppositionem cum Filio, atque adeo cum virtuali processione, et oppositione cum Spiritu sancto.

XXXIX. Ad probationem secundæ consequentiæ respondetur, quod Filius in illo casu non esset inspirabilis realiter, et identice loquendo, licet formaliter sub reduplicatione, et appellatione filii non esset spirabilis, sed tantum procederet ut genitus per intellectum: sed realiter, et identice etiam esset spirabilis, et procedens per voluntatem, quia non opponeretur illi, solumque ibi Filius ut genitus, seu Persona genita, et spirata per rationem distinguerentur. Nec dici posset quod spiratio passiva solum ei esset communicabilis, sicut paternitas casu quo procederet a Filio, et non a Patre, et sic Filius non esset spirabilis, licet spiratio ei esset communicabilis. Hoc inquam dici non posset, quia in tali casu spiratio passiva non præsupponeretur processionem Filii; et sic non esset res communicabilis eo modo quo natura, vel paternitas in illo casu, sed si esset communicabilis, deberet esse per productionem, quia illa spiratio esset producibilis, et non ut distincta Persona a Filio: ergo Persona Filii esset sic producibilis, quod est esse spirabilem: paternitas autem in illo casu non esset producibilis; et sic solum esset communicabilis. Et quando dicitur quod in quantum Filius est Persona genita, et nata, et sic non esset Persona spirata, di-

co quod in quantum Filius in illo casu esset Persona genita, distinguo; Persona genita cum identificatione spirationis passivæ, concedo; cum oppositione, et relatione spirationis activæ, nego; ergo non esset spirata illa Persona, distinguo; realiter, et identice, nego; formaliter, et reduplicative sub appellatione filii, concedo; et sic simul esset spiratus, et genitus, sicut simul est volitio, et intellectio. Nec potest intelligi Pater ut duplex principium fundans diversas origines reales inter se, nisi inter se opponantur, et una sit ex alia, ut ostensum est.

Ad confirmationem respondetur, quod filiatio nunc opponitur in quantum filiatio spirationi passivæ oppositione radicali, spiratio activa oppositione formali, et idem est de paternitate ut paternitas est. Hoc est dicere, paternitas, et filiatio sub explicatione istorum conceptuum relativorum non explicant formalem oppositionem cum Spiritu sancto, sed inter se, Pater enim est correlativum Filii, et e contra, non amplius. Cæterum, quia tam Pater, quam Filius petunt ex suis propriis rationibus habere vim, et relationem spirationis; ideo ex tali exigentia sunt radicaliter oppositi Spiritui sancto, quia sunt fundamentum spirationis, illamque petunt ex se. Si autem Spiritus sanctus non procederet a Filio, nec radicaliter, nec formaliter illi opponeretur.

Et si instes: Quid si per impossibile Filius non produceret Spiritum sanctum, sed solum radicaliter posset producere, distinguereturne ab illo, ex sola potestate producendi, respondetur quod in ista suppositione, admittendo per impossibile, quod non procederet tunc de facto, vel cum virtute spirativa fingeretur retinere relationem spirationis, sed non originem, et actualem emanationem, vel neque emanationem,

neque relationem retinere. Si retineret relationem spirationis, distingueretur a Spiritu sancto ratione radicalis oppositionis ex parte filiationis, et virtutis spirativæ cum relatione, quia tota oppositio in relatione salvatur. Si autem non retineret relationem spiratoris, neque actualem emanationem, non distingueretur actu, quia non referretur, nec haberet oppositionem actu. Radicalis autem oppositio sine actuali relatione saltem comitante, nihil operatur ad distinctionem; modo autem filiatio radicaliter ex se opponitur, sed retinet relationem spiratoris.

FUNDAMENTA GRÆCORUM EXTIRPANTUR.

Præcipua fundamenta Græcorum, quibus ita tenaciter suo errori adhaeserunt, fuerunt duo.

XL. Alterum ex negativa auctoritate, quia Spiritum sanctum procedere a Filio non est expressum in Scriptura, neque fuit positum a patribus Concilii Nicæni, et Constantinopolitani in symbolo: nam Concilium Nicænum solum posuiti Credo in Spiritum sanctum, Constantinopolitanum autem addit: Ex Patre procedentem, et omittitur illa particula Filioque, quam postea addiderunt Latini ad symbolum; et conabantur ex hoc duo ostendere; alterum, quod auctoritas negativa in hac parte debet magni ponderis censeris, eo quod de tam sublimi mysterio non est fas aliquid dicere, nisi quod traditum est a Scriptura, et Conciliis; unde si in ipsis non habetur talis processio ex Filio, utique nefas erit id dicere: alterum est, non licuisse Latinis eam additionem facere ad symbolum, eo quod anathemate feriuntur, qui ausi fuerint aliam fidem, seu symbolum com-

ponere, tum in Concilio illo Constantinopolitano, tum in Ephesino tomo II, c. xxxiii, et tomo V, c. VI, tum in Chalcedonensi, actione V, in secunda fidei definitione. Unde etiam in Concilio Florentino, ut apparet in sessione ultima cum tractaretur de concordia, et pace utriusque Ecclesiæ orientalis, et occidentalis, multi Græcorum, qui concedebant Spiritum sanctum ex Filio profluere, emanare, et procedere, recusabant tamen convenire in hoc quod id in symbolo adderetur, sed quod symbolum sine tali particula recitaretur. Nec videbatur illis necessarium omnia quæ de novo definiuntur adjici symbolo, sicut in Concilio Ephesino definitum est sanctam Virginem esse Deiparam, nec tamen in symbolo, ubi dicitur natus ex Maria Virgine, additum est Deipara: et multa alia sunt ab Ecclesia definita de fide, nec tamen addita sunt symbolo. In hoc puncto valde contenderunt Græci in Concilio prædicto.

XLI. Alterum fundamentum quo Græci ducebantur erat, quia si concederent Spiritum sanctum ex Filio procedere, videbantur concedi duo principia Spiritus sancti, nec solum duo principia, sed æque immediata, et non unum ex alio, quod dicebant significari illa particula ex, dicendo procedere ex Filio, quod indicat Filium esse primum principium, non ab alio accipiens ut spiret Spiritum sanctum. Hoc autem est magnus error, cum quidquid Filius habet, non a semetipso, sed ex Patre habeat: ergo non est ponenda illa particula ex Filio, ne occasio detur hujus erroris, significando aut duo principia Spiritus sancti, aut æque innascibilia, et ex se, et non unum ab alio, dicendo ex æquo procedere a Patre, et Filio. Unde ad hoc evitandum dicebant aliqui eorum posse concedi Spiritum sanctum procedere a Patre per

Filium, non autem a Patre Filioque, quasi ex æquo, et per se, primo.

Utrique fundamento satisfactum est in Concilio Florentino in litteris unionis ab Eugenio IV editis, quæ habentur post sessionem ultimam Concilii. Et quoad additionem symboli, sic dicitur: « Definimus insuper explicationem verborum illorum Filioque veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse oppositam. » Certe in hoc inanis fuit querela Græcorum. Nam ipsi negare non possunt, in Ecclesia esse potestatem disponendi symbolum, et explicandi formulam fidei, addendo aliquid, vel tollendo juxta temporum varietatem, et occurrentiam necessitatis, quæ ad hoc cogit: manifestum est enim quod Nicænum Concilium addidit aliquid ad symbolum Apostolorum, videlicet illam particulam genitum, non factum, consubstantialem Patri, ubi vox homousion, seu consubstantialis introducta est in symbolo, quantumcumque Ariani reclamaverint, et restiterint. Deinde, in Concilio Constantinopolitano I, in symbolo additum est: Credo in Spiritum sanctum, ex Patre procedentem, ut constat ex fine ejusdem Concilii, ubi habetur hoc symbolum cum illa additione ex Patre procedentem, quæ non habebatur in symbolo Concilii Nicæni. Tandem in septima Synodo, euin Concilio Nicæno II, sub Hadriano I pontifice, et Constantino, atque Irene imperatoribus anno 787, editum est symbolum, ubi apposita est illa particula qui ex Patre Filioque procedit, ut patet in Concilio in actione, seu ultima in titulo: « Definitio sanctæ magnæ, et universalis Synodi in Nicæa secundæ. » Quamvis etiam ante hæc tempora in Hispania solitum fuerit in symbolo fidei illam particulam apponi ex Filioque, ut constat ex confessione fidei in Con-

cilio Toletano VIII, celebrato sub Reccisvintho principe, æra 691, id est, anno Domini 653, quæ confessio habetur in titulo primo illius Concilii, et ut ibi dicitur: « In sacris missarum solemnitatibus concordia voce profitebatur, et dicebatur. » Erat ergo hoc jam in Hispania tunc receptum, et verisimile est non a se incœpisse, sed traditum accepisse. Cur ergo non fuit licitum ab eadem Ecclesiæ potestate addere in symbolo ista verba, ut magis explicaretur mysterium hujus processionis Spiritus sancti, præsertim excitato hoc dubio et crescente hoc errore? Cur vero id Ecclesia non fecerit in aliis rebus quas de fide definivit? Nostrum non est de Ecclesiæ facto judicare, sed id quod decrevit reverenter suscipere, et ipsa definivit in supradictis verbis rationabiliter id factum esse. Certe in symbolo fidei non omnes res quæ de fide sunt contineri debent: sic enim cresceret in immensum, cum tamen symbolum breve esse debeat, et ea præcipue continere quæ circa ipsum Deum ac mysterium Trinitatis, et incarnationis versantur. Unde in iis præcipue articulis adicere aliquid Ecclesia consuevit, quæ ad ipsas Personas divinas pertinent, ut circa Patrem addidit quod sit creator visibilium, et invisibilium propter hæresim Manichæorum, qui negabant Deum esse creatorem rerum corporalium; circa Filium quod sit consubstantialis Patri, et genitus, non factus contra Arium: circa Spiritum sanctum quod ex Patre procedat, et illi sit coadorandus contra Macedonium, et quod ex Patre Filioque procedat contra Græcos; cum tamen multa ex his in symbolo primo Apostolorum, aut Nicæno non habeantur. Quod specialius in hoc articulo faciendum fuit, quia ex hoc ipso quod non inveniretur expressum in symbolo, Græci faciebant argumentum

quod non ita sentiendum esset, negabantque posse id ab Ecclesia in symbolo poni: debuit ergo Ecclesia suam in hoc ostendere potestatem, nec Græcorum cedere argumento vel querelæ. Quod autem in Ephesino, et Chalcedonensi Concilio fuerit anathema impositum mutantibus symbolum, seu formulam fidei, id factum est vel contra eos qui privata auctoritate id facerent, vel etiam qui contrarium ipsi fidei adicerent: alias quomodo Concilium generale potuit prohibere ne ab alia simili potestate qualis est alterius Concilii generalis, vel a confirmatore Concilii generalis, qui est papa id non possit fieri, cum par in patrem, et multo minus in superiorem, potestatem non habeat? Similiter id quod majoris explicationis gratia symbolo adicitur, non mutatio fidei est, sed explicatio.

XLII. Secundo fundamento satisfecit Concilium Florentinum in litteris unionis dicendo, quod: « Latini affirmaverunt non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Filio procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons, et principium totius deitatis, scilicet Filii, et Spiritus sancti, aut quod id quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed unum tantum asserant esse principium unicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerant. » Ita Concilium, juxta quam doctrinam definivit Spiritum sanctum a Patre, et Filio tamquam ab uno principio, unicaque spiratione procedere, et quod hoc ipsum quod est Spiritum sanctum a Filio procedere ex Patre habet, a quo æternaliter genitus est. Quare ly procedere ex alio, non dicit, quod illud principium ex quo procedit, non possit etiam ex alio esse, cum vere sit principium de principio, et quidquid

ARTICULUS IV.

Utrum Spiritus sanctus ex sua characteristicâ proprietate petat procedere a duabus Personis, et unico principio spiratore?

Cum in unoquoque producente inveniatur, et concurrat principium quod, seu suppositum subsistens, et principium quo, seu forma, aut virtus producendi, hoc quoque in processione Spiritus sancti certum est inveniri. Nam, et Spiritus sanctus procedit a subsistente principio illi opposito relative, et virtus spirativa qua producitur in illo principio datur. Cæterum cum in hac Spiritus sancti processione inveniatur duplex suppositum spirans, et mutuo amans, scilicet Pater, et Filius, inveniatur autem una relatio spirationis activæ, qua illa duo supposita constituuntur unus spirator; inveniatur etiam una voluntas, seu virtus spirativa ut principium quo, difficultas est, tum circa ipsa supposita spirantia, tum circa ipsam relationem spiratoris, seu circa hoc principium quod dicitur spirator, tum circa ipsam virtutem spirativam, seu principium quo spirandi. Et est triplex difficultas.

I. Prima, an requirantur duæ Personæ amantes seu spirantes ad productionem Spiritus sancti solum ut conditio requisita tenens, se ex parte subsistentiæ seu subsistentiarum in Deo, an ut pertinens ad rationem formalem ex parte ipsius amoris sic spirati. Cum enim ad producendum aliquid requiratur, et conditio tenens se ex parte subsistentiæ, quia suppositum est id quod producit, et formalis ratio per se influens in quarto modo per se respectu rei procedentis, punctus difficultatis est an duo supposita, seu duæ Personæ Pater, et Filius requirantur solum ex parte

vere principium est, hoc dicit, quod id quod principiatur, et originatur ex illo procedat, et sit: præsertim cum illud ipsum principium Patris ex quo procedit Spiritus sanctus idem sit quod in Filio, licet a Patre ei communicatum, et ita si Spiritus sanctus procedit ex Patre, etiam procedet ex Filio.

XLIII. Nec ex hoc quod Pater habeat vim spirativam quam communicat Filio, sequitur quod prius origine sit ab ipso Spiritus sanctus quam a Filio, eo quod illam vim spirativam quam habet Pater non habet nisi in actu secundo, et cum suo fructu, et termino producto, qui est Spiritus sanctus; ergo pro illo priori quo est in Patre vis spirativa, etiam est productus Spiritus sanctus, et sic jam intelligitur esse, antequam producatur Filius.

Sed respondetur quod in re, et pro prioritate in quo, totum est simul, scilicet virtus spirativa in Patre, et in Filio, et spiratio ejus ut a Patre, et Filio tamquam ab unico principio spiratore. Et hoc sufficit ut actus purus spirativæ virtutis nunquam sit sine fructu, et actu secundo producendi Spiritum sanctum. Pro prioritate autem originis qua Pater generat Filium communicat illi virtutem spirativam, quæ notionaliter, et respectu Personæ est potentia, et non exercetur notionaliter a solo Patre, sed a Patre, et Filio; essentialiter autem est in actu secundo, et in actu puro, et sic a Patre communicata est Filio, quia totum hoc exigit vis spirativa ex sua perfectione notionali, ut communicetur a Patre, et non exerceatur notionaliter, nisi in duobus suppositis, ut articulo sequenti dicetur in fine.